

ex fructibus beneficiorum quae nunquam vacant, eo quod alicui Capitulo aut Monasterio quae nunquam moriuntur, unita sunt, aut privilegio Apostolico ab omni reservatione exempta. Succedunt itaque in locum Annatarum. Annatae jure merito exiguntur, non quidem pro collatione, confirmatione aut consecratione non tanquam pretium rei spiritualis, sed titulo subventionis et sustentationis quae ab Ecclesiis inferioribus Ecclesiae Matri, ejusque Capiti et Ministris pro universa Ecclesia laborantibus praestanda est: titulo vero subjectionis, seu in argumentum subjectionis et in honorem Apostolicae Cathedrae non secus ac Episcopis cathedraticum persolvitur.

§ 96.

DE BENEFICIORUM POSSESSIONE, EJUSQUE EFFECTIBUS.

Collatio jus tribuit capiendae possessionis beneficii, sed nemo auctoritate propria possessionem capere potest, cap. 18 de Praeben., in 6, et cap. 19 de Privileg. Itaque si Pontifex facultatem dederit auctoritate propria possessionem beneficii, quod contulit, non nisi vacua apprehendi potest, siquidem ad praedonem etiam possessione pellendum auctoritate judicis opus est, nec alicui licet esse judicem in propria causa. Item si Pontifex beneficium Clerico conferens, eundem Clericum in locum defuncti possessoris subroget, substitutio intelligitur facta in solum jus quod defunctus habuit, non etiam in realem et corporalem possessionem quae aliquid facti est, et idcirco facto aliquo, et corporaliter, ut aiunt, capienda. Spectat autem missio in possessionem ad Antistitem Collatorem, quam per se ipsum tribuit, aut exsecutori tribuendam in litteris collationis committit. Caeterum qui possessionem tradit, Clericus sit oportet, aut etiam Notarius qui tamen a Sede Apostolica, vel ab Episcopo creatus sit; saepe vero. ac ferme semper Presbyter in possessionem immittit, et Notarius de hac

immissione instrumentum conficit praesentibus saltem duobus testibus, Possessio beneficii traditur vel ipsi beneficiario praesenti, vel ejus procuratori speciale mandatum habenti, et quanquam certa forma capiendae possessionis nullo jure sancita sit, aliqua tamen externa signa usu recepta sunt, quibus possessionis traditio et acceptio significaretur. Igitur possessio arripitur per ingressum in Ecclesiam, ubi est titulus beneficii, occupando sedem convenientem, veluti stallum in Choro, aut Campanam pulsando, Altare osculando, Missale aperiendo vel claudendo, aliaque id genus agendo, quae officium et potestatem beneficiati significant. Canonicatus autem, et Praebendae Capitularis possessio coram Capitulo accipienda est.

Plures et proflui sunt captae possessionis effectus. Alii ex possessione beneficii generatim spectata, alii ex annali, alii ex triennali possessione profluunt. Generales effectus sunt: 1. In beneficiis liberae collationis possessio ab eo tradita qui potestatem conferendi habuit, vim effectum collationis consequitur, Pyrrus Corradus Prax. Benefic. lib. 4 cap. 7 num. 14. 2. Possessor regulariter liber est ab onere probandi, « quisquis enim possidet, jure possidere aestimatur, » L. 2 Cod. de acquir. et retin. possess. 3. In pari causa melior est conditio possidentis, cap. 31 de Praeb. in 6, et idcirco si Beneficium duobus collatum sit, nec liqueat, quis prior tempore, quis posterior habendus sit, is vincat necesse est, qui possessionem adeptus fuit. 4. Possessio cum justo titulo et bona fide jus tribuit percipiendi fructus, suosque faciendi, et officium spirituale ac jurisdictionem, si qua beneficio adnexa est, explicandi.

Effectus vero annuae, seu annalis possessionis ex. Reg. 35 Cancellariae est, ut ubi Clericus anno possederit, si quis idem Beneficium tanquam vacans, seu non rite collatum impetrare voluerit, is omnino debeat nomen et gradum possessoris aperire, et causam certam proferre ob quam contendit Beneficium ab eo retineri non posse; et praeterea intra sex menses posses-

sorem in iudicium vocare, causamque intra alios sex menses prosecui: interea vero possessor in sua possessione manet donec lis dirimatur. At triennalis possessio, ex Reg. 36 ejusdem Cancellariae, possessorem tutum reddit, ut amplius in jus vocari et possessione exturbari nequeat: haec enim possessio in re beneficiaria quadragenariae praescriptionis vice fungitur: qui effectus triennalis possessionis tum locum habet, si triennium continuum sit et completum, ut ne unus quidem dies deficiat; si possessio fuerit pacifica, hoc est sine lite vel controversia sive in possessorio, sive in petitorio excitata; et demum si possessio bonae fidei, et titulo colorato incumbat, hoc est, quod titulus sit absque simonia, vel alio patenti vitio, et ab eo datus cui jus erat beneficium conferendi.

Si possessio in beneficiis necessaria, ut eorum fructus comparentur, illud monendum superest, quod ex decreto Concilii Trident. sess. 24 cap. 12 de Reform. beneficiarii curam animarum habentes, Canonici et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium professionem fidei emittere intra duos menses a die possessionis captae obstringuntur; secus enim jure cadunt percipiendi fructus nec ulla possessio eisdem prodest.

§ 97.

DE VACATIONE BENEFICIORUM.

Beneficium vacat, dum suo Rectore destituitur, quemadmodum vacantia bona dicuntur quae haeredem vel possessorem non habent. Beneficium vero vacat duobus modis, aut voluntate propria, aut necessitate. Primo modo beneficia vacant, dum libera Beneficiarii voluntate aut demittuntur, aut resignantur, vel permutantur: secundo modo vacant, dum in vitis possessoribus aut ob mortem, aut in poenam amittuntur. De singulis breviter disseremus.

§ 98.

DE DIMISSIONE ET RESIGNATIONE BENEFICIORUM.

Dimissio seu renuntiatio Beneficii alia est *tacita*, alia *expressa*. Tacita est, cum beneficium dimittitur non verbis, sed facto aliquo unde ex juris dispositione renuntiatio beneficii consequatur, veluti si beneficiarius matrimonium contrahat, aut militiae nomen det, aut possessionem alterius beneficii incompatibilis arripiat, aut denique si approbatam Religionem profiteatur. Expressa renuntiatio est, dum expressis verbis aut scriptis dimittitur; quae iterum duplex esse potest vel *pura*, vel *conditionalis*. Pura vel simplex est, ubi coram Superiore sine ulla conditione aut pacto beneficium dimittimus; conditionalis est, si dimittimus beneficium sub aliqua conditione, veluti sub reservatione certae pensionis, seu portionis fructuum, aut sub ea conditione, ut alicui certae personae conferatur. Stylo Curiae si beneficium pure dimittatur, renuntiatio dicitur; si dimittatur sub reservatione pensionis, dicitur renuntiatio sub modo, seu reservatione pensionis, et si in favorem certae personae dimittatur, resignatio vocari solet.

Quaelibet renuntiatio vel resignatio, ut jure fiat, libera sit oportet, hoc est nulla vi, metuque injusto, aut fraude dimissioni causam dante extorta, et ab eo facta qui rationis compos sit, et idcirco impuberes beneficium si quod habeant, renuntiare posse non videntur propter consilii infirmitatem: minores vero etiam sine curatore valide renuntiant, quod minores in beneficialibus, aliisque causis spiritualibus pro majoribus habentur, cap. fin. de Judic. in 6. Praeterea fieri debet salvo jure tertii; unde nequeunt beneficia litigiosa resignari, nisi in favorem colligantium, nec patronata et electiva sine consensu eorum quorum interest: et ex Reg. 19 Cancellariae, quae

de viginti inscribitur, resignatio irrita est, si qui beneficium resignavit, intra viginti dies a facta resignatione mortem obierit. Sed reus criminis postulatus, imo vero damnatus, si a sententia rite appellaverit, ejurare beneficium potest: ubi causa super crimine, quod privatione beneficii puniendum esset, non super ipso beneficio versatur, qua de re confer Pyrrum Corradum Prax. Benefic. lib. 5 cap. 4 num. 8 et seqq. Denique interponenda est legitimi Superioris auctoritas, ad quem spectat et causam renuntiationis expendere, an idonea sit, et vinculum solvere, quo renuntians cum sua Ecclesia conjungebatur. Sex causas dimittendi Ecclesias Cathedrales Innocentius III cap. NISI CUM PRIDEM enumeravit, quae sunt: « debilitas corporis, defectus scientiae, conscientiae, criminis, irregularitas, malitia plebis, et grave scandalum. » Hujusmodi causis pro resignatione inferiorum Beneficiorum S. Pius V, in sua Constitut. QUANTA ECCLESIAE edita die 10 Aprilis an. 1568, certas alias adjunxit, propter quas ab Episcopis resignationes admitti debeant. Insuper vi ejusdem Constitutionis vetantur Episcopi Beneficia resignata consanguineis, affinibus vel familiaribus resignantium conferre. Si quis autem ad Sacros Ordines titulo beneficii promotus sit, beneficium resignare non potest, nisi aperte declaraverit ad ejusdem beneficii titulum promotum esse, et praeterea constet renuntianti aliunde satis esse ad vitam commode tuendam, quod sancitum est a Concilio Trident. sess. 21 cap. 2 de Reform.

Renuntiationes inferiorum beneficiorum simpliciter et pure factas Ordinarii Antistites rite admittunt: renuntiationem autem Episcopatum aliorumque majorum Beneficiorum ab uno Pontifice admitti possunt, quin etiam in resignationibus Beneficiorum inferiorum quae aut in favorem certae personae, aut sub reservatione pensionis fiunt, auctoritas ipsius Pontificis necessaria est.

§ 99.

DE PERMUTATIONE.

Ad renuntiationes sub conditione aut modo factas pertinet beneficiorum permutatio, quae est mutua eorundem dimissio sub ea conditione, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Permutationes fieri Canones vetant, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas postulaverit, et Episcopi auctoritas intercesserit qui eandem necessitatis, aut utilitatis causam expendere debet antequam assentiatur: et propria auctoritate Beneficia permutantes eadem ipso jure amittunt, cap. 7 de rer. permut., et cap. unic. hoc tit. in 6. Deinde eos oportet consentire qui jus nominandi, sive praesentandi, aut eligendi habent; eo siquidem consensu videtur ipsa praesentatio aut electio suppleri, et electores vel patroni incolumem servant quasi possessionem jurium suorum, quibus vel ignorantes, vel inviti privari nequeunt. Uterque vero permutantium absque nova collatione ad suum beneficium regreditur, quoties ex defectu juris in altero permutante permutatio non consistat, quippe quod permutatio sub certo modo concepta modo non impleto resolvitur: atque adeo Regula 49 Cancellariae jubet, ut in litteris permutationis beneficiorum ponatur clausula « quod neutri permutantium jus acquiratur, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato. » Patres Trid. Synodi sess. 25 cap. 7 de Reform. decreverunt: « Nemini in posterum accessus aut regressus etiam de consensu ad beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. » Si quis vero ex aliqua justa causa ad idem beneficium redire vellet, necesse est ut ad Summi Pontificis auctoritatem confugiat.

Resignationes omnes sive permutationis causa, sive in favo-

rem certae personae non valent, si resignans, aut permutans, sive in infirmitate, sive in bona valetudine id egerit, ante diem vigesimum a facta resignatione decesserit; quo spectat Reg. 19 Cancellariae *De viginti*, quam supra attigimus. Prodiit haec Regula, ne beneficiarii dum sibi mortem instare animadvertent, beneficia sua ceu bona patrimonialia consanguineis et amicis in damnum Ecclesiae et Collatorum resignarent, et quasi haereditate legarent. Hanc vero regulam Constitutio Gregorii XIII incip. *HUMANO VIX JUDICIO* subsequuta est, qua sancitum resignationes beneficiorum in loco beneficii publicandas esse, et forma ejusdem publicationis faciendae praestituitur; secus enim resignatio non consistit, et beneficia ipso jure vacantia collationi Pontificis addicuntur. Siquidem Regula *De viginti* incommodis malarum resignationum non satis prospexerat: nam Clerici infirmitatis et mortis periculum praevenire studebant, atque adeo adhuc valetudine firmi beneficia resignabant: interim vero resignationem occultabant, ut ad mortem usque beneficiis fruerentur. Verumtamen ad eludendam Gregorii XIII Constitutionem novae fraudes excogitatae fuerunt: nam coeptum est expeditionem litterarum Apostolicarum ad preces resignantium prorogari, restitutiones in integrum saepius concedi, preces super una, eademque resignatione iterari ad protrahendam signaturae gratiam, et possessionem ad obitum usque resignantis differri, ut interim resignantes beneficiorum fructus perciperent. Itaque Benedictus XIV, in sua Constit. *ECCLESIASTICO MINISTERIA* diei 15 junii 1746, Constitutionem Gregorianam de publicandis resignationibus intra certum tempus, et capienda beneficii possessione innovavit, et insuper decrevit, ut ne consensus super qualibet resignatione in officio Datariae reciperentur, quoties mandatum ad resignandum ante octo menses a citramontanis, vel duodecim ab ultramontanis datum non esset. Dein jussit, ut intra duos ad summum menses ab eo die quo Pontifex resignationem admiserit, tum applicatio signaretur,

tum litterae Apostolicae expedirentur, et mox a die concessionis intra alios sex menses citra montes, et intra novem, ultra montes possessio Beneficii resignati cum effectu caperetur, et litterae Apostolicae publicarentur.

§ 400.

DE NECESSARIIS VACATIONIBUS.

Ob mortem naturalem, quae omnia solvit, Beneficia omnino vacare perspicuum est: per mortem, inquam, naturalem, quandoquidem per mortem civilem, veluti per captivitatem Episcopi, aut alterius Beneficiati, per deportationem, per damnationem ad carcerem, aut ad triremes perpetuas beneficia ipso jure non vacant, sed per Vicarium vel coadjutorem administrantur, nisi damnati et servi poenae per legitimi Judicis sententiam beneficio quoque privati sint. At praeter obitum naturalem beneficia vacant vel voluntate propria, vel necessitate. Necessitate quidem dimittuntur, vel potius amittuntur beneficia ob certum crimen, propter quod Canones privationem beneficii ipso jure ipsoque facto decernunt.

In primis itaque enumeranda delicta Clericorum, propter quae beneficia ecclesiastica ipso jure amittuntur. Sunt autem:

1. Haeresis, cap. *MIRAMUR* 24 quaest. 1, et cap. *AD ABOLENDUM* § 1 de Haeretic., et apostasia a fide, cap. *CONTRA* de Haeret. in 6.

2. Simonia confidentialis, ex Constitut. Pii IV *ROMANUM PONTIFICEM*; et ex Constitut. *INTOLERABILIS* S. Pii V. Simonia vero conventionalis et realis irritam tantum et inanem reddit collationem beneficii, quod simoniace quaesitum est.

3. Percussio et realis offensio Cardinalium et Episcoporum, cap. *FELICIS* de Poenis in 6, et cap. *SI QUIS SUADENTE DIABOLO* in Clement. I de Poenis.

4. Assassinium, seu caedes hominis alicui mandata, vel

alieno mandato gesta, et homicidium vel mutilatio Rectoris, aut alterius Clerici illius Ecclesiae in qua homicida vel mutilator beneficium obtinet, cap. 1 de Homicid. in 6 § 2, et cap. IN QUIBUSDAM de Poeniten.

5. Procuratio abortus foetus animati effectu subsequuto, ex Bulla Sixti V incip. EFFRAENATA; et ex Bulla Gregorii XIV SEDES APOSTOLICA.

6. Falsificatio seu corruptio litterarum Apostolicarum, cap. AD FALSARIORUM de crimin. falsi.

7. Duellum sive solemne, sive privatum, sive provocatum, sive non provocatum, et etiam morte non sequuta, ex Bulla Pii IV EA QVAE A PRAEDECESSORIBUS; ex Bulla Clementis VIII ILLIUS VICES, et Decreto Concilii Tridentini sess. 25 cap. 19 de Reform.

8. Injusta bonorum cujuscumque Ecclesiae, seu Pii Loci occupatio, ex Decr. Concilii Trid. sess. 22 cap. 11 de Reform.

Sed plura sunt crimina ob quae si jus ipsum privationem beneficii non infligit, eam tamen comminatur a legitimo Iudice infligendam. Numerantur itaque: 1. Non residentes: nam Episcopi, alique animarum curam habentes, ubi non resederint, nec praeviis monitionibus audientes fuerint, tum privatione fructuum, aliisque censuris ecclesiasticis, tum demum privatione Ecclesiae coercentur, uti habetur ex Concil. Trid. sess. 6 cap. 1 de Reform., et sess. 23 cap. 1 de Reform. 2. Non suscipientes Ordines Canonicatibus et Beneficiis Cathedralium et Collegiatarum adnexos, aut a fundatore imperatos, dummodo nullum legitimum impedimentum obstiterit, Concil. Trid. sess. 22 cap. 4 de Reform., et Bonifacius VIII in cap. 8 SI PRO CLERICIS. Qui vero alia beneficia extra Cathedralia et Collegiata Ecclesias habent, si Ordines infra annum non susceperint, ipso facta iisdem beneficiis privandi sunt, quod multis explicat Fagnanus in cap. Cum in cunctis de Elect. 3. Clerici, qui in sacris constituti, aut beneficia possidentes decenti sui Ordinis veste non utuntur, Concil. Trid.

sess. 14 cap. 6 de Reform. Sixtus V ea de re Constitutionem edidit CUM SACROSANCTA, cujus rigorem Innocentius XIII in sua Constitutione APOSTOLICI MINISTERII, et Benedictus XIII Constit. IN SUPREMO MILITANTIS paulisper mitigarunt, atque decreverunt praedictos Clericos habitum et tonsuram non deferentes, non esse beneficiis exspoliandos, nisi monitiones et caetera de jure servanda praeiverint. 4. Concubinarij, foeneratores, ebrietati ludisve alearum dediti, sutores rixarum, negotiatores, arma gestantes, incertis sedibus vagantes, aliorumve criminum sotes tum in praedicta Constitutione Benedicti XIII, tum in aliis Constitutionibus, et Sacris Canonibus disertis verbis commemorati, et denique ob quemlibet excessum depositione vel degradatione digni.

Utraque poena privationis beneficii, hoc est aut ipso jure, aut per iudicis sententiam irroganda dissimiles effectus habet. Enimvero privatio jure ipso inflicta non indiget auctoritate Iudicis, nec sententia condemnatoria, ut beneficii titulum adimat, atque adeo beneficium a die patrati criminis statim vacat. Et quanquam hujusmodi poenae, quae rebus aut quaesitis juribus privant, sententiam criminis declaratoriam ex quadam aequitate et praxi recepta requirant, haec tamen sententia ad diem patrati criminis retrahitur, nec iudex poenam proprie infligit, sed factum tantummodo declarat, videlicet beneficiarium ejus criminis reum vel convictum, vel confessum esse, ex quo beneficii privatio ipso jure, ipsoque facto inducta est. Quamobrem actus a die criminis gesti, ex. gr. resignationes et permutationes beneficii nullius momenti sunt, et percepti fructus restituendi. At privatio per sententiam iudicis infligenda vacationem beneficii non parit, nisi sententia condemnatoria in rem iudicatam transierit, et idcirco si quis interea resignaverit, aut permutaverit beneficium, resignatio aut permutatio consistit, nec fructus restituendi: quin etiam, si poenam privationis jus quidem non statuerit, sed tamen arbitrio iudicis reliquerit, iudex, si velit,